



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Ecclesiae augustissimi parietum opificii, elegantiae, & inaurationis,
descriptio. Cap. XXXV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

Amplissimi sub dio regionis & porticum descriptio.

CAP. XXXIII.

DEinde ad amplissimum templi locum libero cœlo patentem exornandum se contulit: cui & solum lapide eximio constratum, & porticus longis ambulationum spatiis ex tribus lateribus circumdati, permultū decoris attulerunt.

Ecclesie augustissimi parietum opificii, elegantie, & inaurationis, descriptio. CAP. XXXV.

ADuerso autem lateri antri, quod solem orientem spectabat, regale & augustum sanctuarium adiunctū fuit: opus planè eximium, ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immensa patens. Cuius edificiū partes interiores, marmoris, versicoloris materia incrustatæ: exterior autem parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulos interiectis colligabantur, exornata, singularè quandam pulchritudinis speciem, eamque non minus ad aspectum illustrè, quam si marmore obducta fuisset, præbuit. Quòd autem ad ipsa tecta in sublimi posita attinet, exteriores eorum partes plumbea obtexit materia, quæ tanquam firmum munimentum, tempestuosos imbres depelleret. Interiores vero celatis laquearibus affabrè inter se compactæ, & tanquam quoddam vastum pelagus, per vniuersum sanctuarium, coagmentationibus quibusdam inter se continenter cohærentibus, diffusæ dilatataque, & fulgente auro passim coopertæ, totum templum, velut lucis claritate mirè illuminarunt.

Geminarum vtrinque porticum, & valuarum trium ad orientalem plagam spectantium descriptio.

CAP. XXXVI.

DVabus porticibus, partim subterraneis, partim supra terram eminentibus Xysti gemini ex vtroque latere adiecti, ad longitudinem sanctuarii porrigebantur: quorum testudines erant auro insigniter, & vario artificio illustratæ. Ex quibus, alter à fronte inferioris templi columnis ingentibus suffulciebatur: alter intro spectans,

M m 5 substra-